



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhvsii, 1673**

Caput Vigessimum. Encomium Marianum Vigessimum Tertium. Vas  
Honorabile.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

## CAPUT VIGESIMUM.

*Encomium Marianum Vigessimum  
Tertium.*

## VAS HONORABILE.

**I**N summo honore & veneratione olim  
apud Israëlitas fuisse Arcam DEI, tam  
clarum est ut probatione non egeat. Et ta-  
men teste *Apost.* in ea nihil erat quam *virga*  
*Aaronis quæ fronduerat, tabula testamenti di-*  
*gito DEI scripta, & vas continens manna.*  
Quod si tanto honore digna fuit Arca ina-  
nimata & vas quoddam manu terrestri ar-  
tificis fabricatum, utique longe majori ho-  
nore dignum erit, illud vas honorabile de  
quo hic est sermo: illud vas cujus Arca fi-  
gura, & significatio erat: illud quod *quasi*  
*vas auri solidum omni lapide pretioso ornatum*  
refulget: cujus licet satis videatur venera-  
bilitas ostensa in *Tit. Virgo Veneranda*: super-  
est tamen ut honorem illius quem in glo-  
riosa Assumptione consequuta est, cujus  
jam festum celebramus paulò fusius ob-  
mentis oculos omnium ejusdem Beatissi-  
mæ



mæ Matris clientibus & amatoribus ponamus, ut tantæ Matris suæ gloriæ & honori ac exaltationi congaudere ac intimis visceribus congratulari valeant.

## §. I.

**P**ost transactam triennalem illam siccitatem, qua ( ut refert *lib. Reg. 3. cap. 19.*) Deus universam terram Israël ad intercessionem *Elia* flagellaverat: misertus tandem calamitatis iussit *Elia* ut Regi *Achab* se ostenderet: qui & illi se ostendit montem *Carmelum* Dominum pro pluvia rogaturus ascendit: puerumque suum ut versus mare an nubes de mari ascenderent, conspiceret qui sexies ad videndū egressus septima vice cernit. *Et ecce nubecula parva ascēdebat, de mari quasi vestigium hominis, quæ in tantam mox crevit magnitudinem, ut totum cælum obduceret, universamque terram aquis suis irrigaret.* Non incongrue per hanc nubeculam Beatissimam Virginem intelligi, & ipsæ SS. litteræ & SS. Patrum testimonia nubisq; proprietatis optime colligitur: Hæc enim est illa nubes levis: de qua *Isaias* ecce ait *Dominus ascendet super nubem levem & ingredietur Ægyptum, &c.* A-  
scen-



ascendit enim Dominus (ut ait D. Hieron. lib. 7. in cap. 19. Isaie) super nubem levem corpus videlicet beatissimæ MARIÆ quod nullo humani ponderis semine prægravatum est. An non nubes quæ se inter terram solemque justitiæ interponit, ne ignis iræ ejus peccatores consumat? An non nubes quæ rorem gratiæ pluviamque voluntariam hæreditati Dei subministrat? hæc est nubes illa, super quam sedit Angelus testamenti de qua Ioan. Apoc. vidi inquit Angelum sedentem super nubem candidam &c. Quamvis autem Beatiss. Virgo MARIA semper, attamen hodierna die suæ gloriosissimæ Assumptionis typum nubeculæ illius è mari ad modum vestigij hominis ascendentis gessit, dum de mari hoc magno & spatiofo ad superna evecta est sydera supra omnes Angelorum Choros exaltanda, nec finem suæ celsitudinis habitura; nisi eidem jungeretur in throno: cujus mater merebatur esse in solo. De hac igitur gloriosissima festivitàte nunc differendum est. *Tempus siquidem loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati verbi Mater in cœlum nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominis sola na-*

la na-



*la natura supra immortales spiritus exaltatur  
 in virgine : Si enim Deum in sanctis suis lau-  
 dare debemus, ut inquit. S. Hieron. serm. in As-  
 sumption. multo magis in hac solemnitate di-  
 gnis Deo debemus jubilaré præconiis: nulli enim  
 dubium quin totum ad gloriam laudis ejus per-  
 tineat: quidquid digne genitrici suæ impensum  
 fuerit: sed quid nos tantilli in laudibus tan-  
 tæ virginis referemus, cum etsi omnium  
 nostrum membra verterentur in linguas,  
 eam laudare sufficeret nullus. *Altior cælo  
 est de qua loquimur, abysso profundior cui lau-  
 des dicere conamur. Quis enim cogitare suffi-  
 ciat quam gloriosa hodie mundi Regina proces-  
 serit, & quanto devotionis affectu tota in ejus  
 occursum cælestionum legionum prodierit mul-  
 tudo, quibus ad thronum gloriae canticis sit  
 deducta? quamvis ergo de ejus gloria nil di-  
 gnum sterilis cogitatio concipere, aut inerudita  
 possit locutio parturire: nec tamen silere devo-  
 tio patitur. Hæc est enim dies illa quæ cælorum  
 officinas (ut inquit Petrus Dam. serm. de As-  
 sumpt. cap. 2.) sublimiori gaudio cumulavit,  
 annua mundo, angelis continua, continuans ho-  
 mines Angelis & Angelos hominibus felici fæ-  
 deratione conjungens: in hac namq; completa  
 sunt**



sunt prophetarum oracula, omnisq; scriptura de  
 ea perfecta est: Si enim (uti vult Bernar. serm.  
 2. sup. Salve Regina) propter hanc omnis scri-  
 ptura facta est. Item si ipsa sit finis testamen-  
 torum quæ nobis fecit Deus, declaratio occulto-  
 rum & profundorum divine incomprehensi-  
 bilitatis, & summa divinorum oraculorum,  
 uti eam appellat B. Andreas Cretenfis: neces-  
 se fuit eadem oracula hodie consummata  
 & completa esse; quemadmodum in mor-  
 te filij eius unigeniti, omnia quæ de eo  
 scripta, consummata sunt ipsomet atte-  
 stante de cruce consummatum est.

§. 2.

**H**odie ergo ait S. Damasc. Eden novi A-  
 dam paradisum suscipit animatum, in  
 quo soluta est nostra condemnatio, in quo plan-  
 tatum est lignum vitæ, in quo operta est nostra  
 nuditas, in quo veteris Adami soluta est male-  
 dictio, & originis justitia restituta. Hodie sa-  
 cra & animata Arca Dei viventis, quæ suum in  
 utero gestavit artificem requiescit in templo  
 Domini, quod nullis est excisum manibus, & a-  
 quæ cœlestis gratiæ veram & divinam Ar-  
 cam elevaverunt in sublime à terra, eamq;  
 in montibus cœlestis Armenia sine fine

Z

man-



manfuram collocarunt. *Hodie sacratissima columba pura & innocens anima, & divino consecrata spiritui, ex Arca evolans, corpore inquam quod vitæ dedit principium invenit quietem suis pedibus & pacem terris redditam nuncians, cum omnium exultatione à cœlesti Noë filio nimirum in Arcam cœlestis gloriæ introducitur.*

Hodie Rubus ardens incombustus per rubum Mosaycum præfiguratus, ardens inquam, in quo apparuit ille de quo *Proph. Deus noster ignis consumens est: incombustus perseverans quia maternitatem cū virginitatis honore conjungens, in montem cœlestis Horeb evahitur, igni q; divino intime incorporanda sublevatur.*

Hodie B. Virgo MARIA, vera Prophetissa, transvadato vastissimo mari hujus sæculi, in cœlestem promissionis terram lætabunda ingreditur: ac ad præsentiam sonitumque tympani ejus, omnes virginales chori excitati cantant Domino, ac quod per mare sæculi hujus sine sæcularibus fluctibus transierunt illæsi, ineffabili gaudio gratulantur.

Hodie *Aaronica & sacerdotalis virga*  
dera-



de radice *Iesse* egressa, super quam requie-  
vit Spiritus Domini: *quæ juxta S. Bernard.*  
*non seminata ab aliquo, non defossa sarculo, non*  
*impinguat a fimo, sed sine omni humano admi-*  
*niculo:* produxit germinavitque florem ru-  
bicundum candidum, & ex millibus ele-  
ctum: florem campi in quem desiderant  
Angeli prospicere, Christum scilicet: in  
cœlesti tabernaculo collocatur.

Hodie Mater veri *Salomonis* Regis pa-  
cifici ad filium suum pro *Adonia* typum hu-  
mani generis gerente deprecatura ingre-  
ditur, eidemque in occursum filius suus his-  
ce eam alloquens verbis, *Pete mater mea ne-*  
*que enim fas est ut avertam faciem tuam ob-*  
*viam procedit.* Hodie cœli terræque Regi-  
næ & Imperatrici ab æterno electæ, juxta  
filium suum cœli terræque Dominum glo-  
riosus thronus erigitur: nec solum quin &  
ipse in ea ponit thronum suum: *Veni in qui-*  
*ens electa mea & ponam in te thronum meum,*  
*parum est ut judicanti consideas nisi & ipsa mi-*  
*hi sedes fias, ut majestatem regnantis eò feliciter*  
*quò familiariter in te contineas, & specialius*  
*præ cæteris incomprehensibilem comprehendas,*  
*continuisisti parvulum in gremio, continebis im-*  
*mensum,*



*mensum, in animo, fuisti diversorium peregrinantis, eris palatium regnantis, fuisti tabernaculum pugnatu-ri in mundo, eris solium triumphantis in cælo: fuisti thalamus sponsi incarnati, eris thronus Regis coronati.*

Hodie sacratissima sponsa Spiritus sancti ad nuptias æternas sponsi sui, & in cellaria divina introducitur, totaque in occursum ejus Angelorum sanctorumque omnium caterva egreditur, & admirabundi de tanta ejus gloria his de ea *S. Epithalamij* verbis suscitantur: *quæ est ista quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris? quæ est ista inquit quæ ascendit? Ac si aperte ait S. Bern. dicant, non est cum illa sicut heri & nudius tertius, non jam amplius circuit civitatem, non discurret, per viros & plateas, non errabunda vagatur, sed directè ascendit. Digna plane exclamatio, digna admiratio. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, vere mirabilis, & illi multo dissimilis quæ descendit per Paradisum, cecidit de Paradiso, non quasi virgula fumi gracilis per humilitatem, sed nimis grossa & rigida per mentis tumorem: quasi virgula inquit fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & universi pulveris*



pulveris pigmentarij. Unversus enim pulvis pigmentarius in virgine coniectus fuit, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit, nec integra in ea fuerunt species, sed in subtilissimum comminute igne divini amoris ejus totaliter incendente & inflammante.

## §. 3.

Hodie gloriosa & vivens civitas Domini juxta D. Damasc. Dei exercituum sublime attollitur, & Reges ex templo Domini gloriosa & illustris, Syon ad supernam Ierusalem qua est libera & mater sua, munus offerunt pretiosissimum, qui sunt constituti principes ab universa terra Apostoli inquam Dei matrem semper Virginem.

Hodie victoriosissima Judith cujus Spiritus in Deo salutari suo exultavit: debellatis tenebrarum harum, & mundi principibus, ad cœlestem Ierosolymam, cum palma victoriæ gaudens ingreditur, omnesque cœlites eidem congratulantes occurrunt David exultat ejus parens, & cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, virtutes glorificent, Principatus exultant: potestates colletantur, gaudent Dominationes, throni diem festum agunt,



agunt, laudant Cherubim & prædicant Sera-  
phim, gratulabunda voce canentes: Tu glo-  
ria Ierusalem, Tu lætitia Israël, Tu honorificen-  
tia populi nostri.

Hodie ad *formosissimam Hester* sceptrum  
clementiæ, à Rege cœlorum, & Domino  
Dominantium extenditur; eidemque æ-  
ternum misericordiæ regnum committi-  
tur. Hodie immaculata Virgo quæ nullis  
terrenis est inquinata affectionibus, cujus  
decorem ab æterno concupierat unigeni-  
tus Dei filius, eidemque coæqualis, cujus  
amore vulneratus fuit: ab eodem in pala-  
tium cœleste evehitur, vestitu deaurato  
circūdatur, & diademate Regni perpetuo  
duraturi coronatur: *Adamavit* siquidem  
*eam Rex super omnes mulieres*. Nec mirum  
Regali etenim ex progenie hæc Virgo e-  
lecta erat, generositatis quidem Regiæ no-  
bilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior in-  
doles, ut æterno Regi filio Regis materna  
quoque nobilitas regium honorem defen-  
deret: quæ ergo venientem à regali sede  
patris regali throno in aula virginali Regi-  
na Materque susceperat ac verum *Salomo-*  
*nem* diademate suæ carnis ornaverat, ab  
eodem



eodem hodie æterno diademate gloriæ omnibus creaturis prælata redimitur.

Hodie B. Virgo MARIA optimam partem elegit, imo quam dudum elegerat, hodie perpetuo possidendam accepit; ut scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniterq; fruatur Dei verbo. Nec alienum aut incongruum, si quod de illa *Maria Magdalena* dictum est in istam transumatur cum ad convenientiam transformationis similitudo non solum nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Dominum hospicio suscepit, tecti, hæc thalamo suscepit uteri. *Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo* inquit: *illa sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*: hæc sedula circa humanitatem Christi ejus, *omnia verba conservabat*, quæ de illo erant *conferens in corde suo*. Illa Christo secundum humanitatem affidere merebatur, hæc illum non solum secundum humanitatem, sed & divinitatem contemplari, & plus omnibus cognoscere meruit.

Hodie denique ut cum *Hieronimi* verbis *S. script.* figuris finem imponam B. Virgo MARIA æternæ vitæ gaudia alternanti-



bus hymnidicis Angelorum choris, & intra  
 æternæ viriditatis pascua, ubi una societas  
 omnium civium supernorū, ubi dulcis so-  
 lemnitas Angelorum, ubi post labores &  
 ærumnas felix & suavis refectio animarum  
 sanctarum feliciter introivit. *Hodie gloriosa  
 semper Virgo MARIA cælos ascendit, gaudete  
 quia ineffabiliter sublimata cum Christo regnat  
 in æternum.* Hodie Regina mundi de terris,  
 & de sæculo nequam eripitur: iterum dico  
 gaudete, quia secura de sua ineffabili, &  
 immarcessibili gloria ad cœli jam pervenit  
 palatia. Exultate, gaudete & lætetur omnis  
 orbis quia hodie nobis omnibus ejus inter-  
 venientibus meritis salus aucta est: Læta-  
 mini & laudate: quia si Deum ore prophe-  
 tico in sanctis suis laudare jubemur, multo  
 magis in hac eum celebritate B. Virginis  
 matris ej<sup>9</sup>, oportet cum hymnis & canticis  
 spiritualibus extollere, dignis Deo jubila-  
 re præconijs & mysticis honorare muni-  
 ribus. Hæc est enim illa dies in qua usque ad  
 throni celsitudinem intemerata mater, &  
 virgo processit, atque in regni folio subli-  
 mata post Christum gloriosa resedit.



## §. 4.

**Q**uantus apparatus ad excipiendum hujus mundi Monarcham, Imperatorem, Regem aut Principem fieri solet quotidianâ discimus experientiâ: omnia quæ oculos ejus offendere possunt amoventur: muri tapetibus viridantibusque ramis exornantur, plateæ floribus herbisq; odoriferis sternuntur, nec solum: quin & principales è nobilitate deputantur, qui adventanti obviam procedant, eumque omni decore & reverentia ad oppidum aut locum constitutum introducant. Quamvis hæc omnia in cœlesti patria & Hierosoly- ma ad quam hodierna die introducta est Augustissima cœlorum imperatrix locum habere non potuerint, cum ibidem nihil sit quod cujusquam oculos offendere possit: si tamen (humano more loqui liceat) ibidem singularis quidam apparatus hodierna die factus, *thronusq;* præstantissimus *positus est matri Regis*, ut filio regnanti con- sedeat, & regni regnantisque in æternum particeps fiat, sed & præstantissimi spiritus Angelici deputati sunt à sanctissima Trini- tate, qui beatissimæ huic Dominæ omni



reverentia occurrerent, eamque in cœle-  
 stem Hierusalem introducerent: nec so-  
 lum quin & filius Dei ipse per se totus festi-  
 vus ei occurrit, & cum gaudio eam in thro-  
 no secum collocavit. Et certe sic decebat:  
 non enim minori gloria dignam Deus ju-  
 dicavit matrem suam, alijs sanctis de qui-  
 bus ipse testatur *Divus Hieron.* sæpe nimi-  
 rum ad funera & ad sepulturas quorumlibet a-  
 liorum sanctorum, Angelos advenisse, & ad  
 exequias eorum obsequia præstitisse, nec non &  
 animas electorum usque ad cœlos cum hymnis  
 & laudibus detulisse, ubi & utriusque sexus  
 chori commemorantur auditi frequenter lau-  
 des cecinisse, & quod perspicacius est multo non-  
 numquam lumine resplenduisse, insuper & ad-  
 huc viventes in carne ibidem miri odoris fra-  
 grantiam diutius per sensitse. Quod si ad recre-  
 andam spem & corroborandam fidem assisten-  
 tium Salvator noster, ob merita suorum ampli-  
 us corroboranda, talia & tanta dignatus est  
 exhibere per suos cœli ministros circa defunctos:  
 quanto magis credendum est hodierna die mi-  
 litiam cœlorum, cum suis agminibus festive ob-  
 viam venisse genitrici Dei, eamq; ingenti lumi-  
 ne circumfulsisse, & usque ad thronum olim si-  
 bi eti-



bi etiam ante mundi constitutionem preparatum cum laudibus & canticis spiritualibus perduxisse? Item: quod si ut ait Bernard. oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se: & quod omnibus certum est diligenti præ omnibus, quis loquatur? Nullus certe magis dilexit quam ipsa infantem uteri sui, talis matertalem filium. Huc accedit quod præceptum à se latum: *Honora patrem & matrem tuam*: filium quodammodo obligaret nisi forte (quod absit) non creditur filius Dei, honorare matrem, aut dubitare, quis potest omnino in affectum charitatis transiisse *MARIÆ* viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas novem mensibus corporaliter requievit: quem ergo castellum hujus mundi intrantem prius ipsa susceperat, ab eo suscipitur, ipsa hodie in sanctam ingrediens civitatem: sed cum quanto putas honore? cum quanta exultatione? cum quanta gloria? Nec in terris dignior est locus uteri virginalis templo, in quo filium *DEI MARIÆ* suscepit, nec in cælis regali solio in quo *MARIAM* hodie *MARIÆ* filius sublimavit.



## S. 5.

**P**ermagnifica ac triumphalis extitit processio, dum unigenitus Dei filius devicta morte debellatoque inferno stipatus innumerabilium sanctorum caterva, quos eousque infernus clausos vinctosque detinuerat, cœlorum secreta penetravit: siquidem è cœlis obviam illi egressa est omnis illa beatorum spirituum gloriosa societas, quando naturæ superiori prætulit inferiorem & inconvertibili sacramento susceptum hominem in ipsa divinitatis clausit identitate. Occurrentibus autem Angelis electorum animas quas secum educebat adjunxit, & sic utrorumque triumphali pompâ deductus, ad patrem, sedet ad dexteram majestatis. Attamen salva tanti filij majestate ex mente *S. Petri Dam.* non mediocriter dignior, excellentior ac magnificentior fuisse reperitur Assumptio gloriosa Augustissimæ cœli terræque Imperatricis: soli quippe Angeli Redemptori cœlos ascendenti occurrere potuerunt: Matri vero cœlorum palatia penetranti, filius ipse cum tota curia tam Angelorum, quam justorum solemniter occurrens ex-  
xit



xit ad beatæ confistorium sessionis, & ait  
*Tota pulchra es amica mea & macula non est in  
te.* Consentit Damiano D. Hieron. qui non si-  
ne fundamento existimat eam ob causam  
filium Dei prius ascendisse cœlos ut matri  
thronum dignumque præpararet locum:  
*Ascendit inquit Dei filius nimirum eandem  
gloriam resumpturus, licet non amiserit quam  
prius habuerat antequam mundus fieret. Ascen-  
dit & præparavit huic sanctissima & glorio-  
sissima Virgini locum immortalitatis ut cum eo  
regnare possit in perpetuum.* Et certe infinite  
gloriosa debuit fuisse hæc Assumptio, cum  
inenarrabilis imo & cogitatione incom-  
prehensibilis juxta mentem S. Bernardi in-  
veniatur, *Generationem & MARIAE Assum-  
ptionem quis inquit enarrabit?* Ac si manife-  
ste dicat: *Quemadmodum impossibile est  
generationem Christi secundum divinita-  
tem lingua humana enarrare, ita & glori-  
am Assumptionis hujus Beatissimæ Virgi-  
nis lingua humana explanare prorsus est  
impossibile: nec mirum cum nequidem  
cogitatione valeat comprehendi: Quis e-  
nim cogitare sufficiat quã gloriosa hodie mun-  
di Regina processerit? & quanto devotionis af-  
fectu*

fectu



*fectu tota in occursum cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum glorie sit deducta canticis, quam placido vultu, quam serenâ facie, quam divinis amplexibus suscepta à filio & super omnem exaltata creaturam.*

Jam præinductum *Petri Dam.* conceptum tua autoritate confirmat quoque *S. Anselmus*: qui causam inquit (*lib. de excellent. Virginis, cap. 7.*) cur Christus Dominus cœli ascendens palatia reliquerit suam dulcissimam Matrem in hoc misero calamitoso sæculo, ac lachrymarum valle: cum æque facile eam secum ducere potuisset, & corona gloriæ æternum fruitura donare unde super hoc facto attonitus convertens se ad Salvatorē ei que dicens: *sed ô bone IESU istius tuæ dulcissimæ matris fili: quomodo potuisti pati ut te in regnum tuæ gloriæ remeante, illam quasi orbatam in miserijs mundi relinqueres, & non eam statim tecum regnaturam assumeres?* causamq; mox subjungens: *Fortassis inquit Domine ne tuæ cœlesti curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret, tibi videlicet Domino suo tunc regnum suum in assumpta carne petenti, an ipsi Domine suæ ipsum regnum jam suum materno jure effectum ascendenti.*

*Nam*



Nam ut in partes suo occurſu divideretur quatenus pars tibi & pars illi in primo adventu obſequeretur non deceret æſtimo, præſertim cum tota ſit tua, totaq; per te eadem cœleſtis curia ſua. Prudentiori ergo & digniori uſus conſilio præcedere illam volebas quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares, ac ſic comitatus tota curia tua feſtivus ei occurreres eamq; ſublimius, ſicut decebat tuam matrem ad te ipſum exaltares.

## §. 6.

Ed & idem D. Anſelmus hujus ejuſdem glorioſiſſimæ Aſſumptionis excellentiam ad vivum delineans, cap. ſeq. lib. cit. proſequitur. Verum cum ipſe in regnum ſuum eam aſſumere & ei magnificentiam regni ſui gloriæ decreviſſet oſtendere: cujus precor dignitatis & honoris apparatibus intendebat tota curia Angelorum? quibuſve vocibus exultationis & ſalutis reſonabat numeroſa tabernacula antiquorum Patrum, ipſi curiæ tunc aſſociatorum? Certe crediderim omnes illius beatæ patriæ cives feſtīviori ſolito ac ſublimiori nitore decoris. Ad adventum Matris Domini ſui præparari, ac nova quadam & ineffabili jucunditatis gratiæ protantiæ rei expectatatione conjubilare.

lare.



lare. Et quid mirum? Ipse Deus & Dominus omnium IESVS filius ejus benedictus hujus castissime Virginis & Domina rerū ipse ei sicut sue unica matri totus festivus occurrere volebat, & aliquis de familia sua se tanti gaudij immensitate subtraheret? utiq; inter homines moris scitur esse unumquemq; bonum servum cujusvis prepotentis Domini eo majori gaudio in amici Domini sui adventu exultare, quo ipsum Dominum suum cognoverit adventantem amicum magis amare. Cum verò de adventu parentum Domini sui agitur: de quorum speciali dilectione nullus alia dubitatione tenetur, ille nimirum magis felicem se estimat, qui majori jubilo, & festiviori occurso letitie frenare relaxat: si ergo hæc ita se habent apud homines, quibus, si quæ bonitas inest, longe tamen superiorum bonitati impar est contempletur animo, qui potest, quo gaudio, qua festivitate, quibus concentibus jubilabant omnes beatorum spirituum ordines, quando & unicam Domini sui matrem adventare, & ipse Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratum ei velle occurrere. Stipatus itaq; mille millibus, imo innumerabilibus Angelorum agminibus Deus, ipse huic pijsimæ matri sue de hoc mundo migranti occur-



occurrit, eamq̄, super omnes cœlos exaltatam,  
cuncta secum creatura perenni jure dominatu-  
ram in throno glorie collocavit. Dies enim illa  
non solum te Domina ineffabiliter sublimavit,  
sed cœlum ipsum quod penetrasti, nec non cur-  
cta quæ in eo sunt nova & ineffabili gloria de-  
coravit. Nova quidem cœlum gloria decoravit  
quia priorem gloriam ejus ex presentia tua ul-  
tra quam dici possit aut cogitari magnificavit.  
Nam cum tu Domina illuc ascendis, nova illud  
& præcellenti virtutum tuarum dignitate ir-  
radias, immensaq̄, miserationum tuarum &  
gratiarum luce perlustras. Hæc ad verbum  
Anselmus.

Ostendit eandem Assumptionis excel-  
lentiam à typo Bethsabæ & Salomonis filij e-  
jus: S. Bernard. serm. II. art. 2. & 3. Con-  
templare inquit mirificam obviationem,  
quia surrexit Salomon in occursum matris suæ  
mirificam venerationem quia adoravit eam:  
Altissimam sublimationem: quia positus est  
thronus matri Regis: Immediatissimam con-  
junctionem: quia sedit ad dexteram ejus. Sur-  
rexit igitur gloriosus IESVS in occursum suæ  
dilectissimæ matris, & sicut benedictus IESVS  
sedet à dextris Patris, id est in potentioribus



bonis paternis, sic Virgo gloriosa in potentioribus bonis filij sui IESV juxta illum in throno sublimata consedit.

§. 7.

**E**X quibus facile colliges causam, ob quam Spiritus S. in Epithalamio eadem procedat verborum forma in explanatione gloriosissimæ Ascensionis Christi, & Assumptionis Bmæ Virginis Matris ejus, procul dubio, quia non minus hanc quam illam gloriosam existimavit. Christi enim Ascensionem delineans, tertio bis per os *Psalm. Regij* inquit: *Quis est iste Rex glorie?* & item per os *Isaie*: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Eodem modo gloriosissimam sponsæ suæ Assumptionem delineaturus: tertio de ea Epithalamij sciscitatur verbis: *Quæ est ista inquam quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhe, & thuris & universi pulveris pigmentarij? Et bene quasi virgula fumi quia gracilis & delicata, quia divinis extenuata disciplinis & concremata in tus in holocaustum incendio pij amoris & desiderio charitatis. Ut virgula inquit fumi ex aromatibus nimirum, quia multis repleta erat*

virtu-



virtutum odoribus manans ex ea suavissimus  
fragrabat odor, etiam spiritibus angelicis. Per  
desertum inquit: desertum vere aridum & ste-  
rile saculum hoc nimirum: vel certe desertum  
est virginalis caro ejus castitatis exhausta & de-  
siccata virtute, quæ nullam delectationis im-  
munde nebulam exhalet, nec ignem extinguat  
sed nutriat quem Domini flatus succendit.

Quæ est ista (inquit secundo) quæ progredi-  
tur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, e-  
lecta ut sol, terribilis ut castrorum acies ordina-  
ta. Quasi aurora consurgens ait: Bona com-  
paratio! quia quemadmodum aurora pro-  
deunte nova terræ lætitia novumque exo-  
ritur gaudium: cum maxime sit jucun-  
dum auroram prodeuntem intueri: ita ho-  
dierna die, dum vera & mystica illa aurora  
Beatissima Virgo in terra promissionis cœ-  
lestique patria prodijt, novum gaudium  
exortum est, siquidem maxime fuit dele-  
ctabile toti illi cœlesti curiæ auroram hanc  
intueri, è cujus visceribus sol justitiæ pro-  
dijt; tanta etenim hujus auroræ extat pul-  
chritudo, ut asserente Damiano, ipsam na-  
turam Angelicam ad sui intuitionem solli-  
citet. *Tota enim Angelorum frequentia in-*



quit Doctor citat. *conglomeratur ut videat  
Reginam sedentem à dextris Domini virtu-  
tum, in vestitu deaurato, in corpore semper im-  
maculato, circumdatam varietate, & virtu-  
rum multiplicitate distinctam.* Pro majori  
ergo pulchritudinis hujus Virginis deli-  
neatione quasi gradatim ascendens subse-  
quitur dicens: *pulchra ut luna, quid luna pul-  
chrius cum stellis coruscantibus in signifero li-  
mite reliquorum syderum splendorem excedit?  
Considera quam stellaris & serena vibratio,  
quam luminosus fulgor circulem orbem tan-  
ti syderis circumfundat, ut aliorum luminum  
claritatem non mediocriter obfuscat: sic &  
Virgo gloriosa die hodierna inter animas san-  
ctorum & Angelorum Choros supereminens,  
& erecta merita singulorum & omnium titu-  
los antecessit, quantumlibet alie stelle reluceant  
luna tamen & magnitudine praeeminet & splen-  
dore: sic utramque naturam virgo singularis ex-  
uperat, & immensitate gratiae & fulgore vir-  
tutum: Nec tamen in lunæ pulchritudine  
sistit; sed ad majora proparans soli etiam  
eam comparat: *Electa inquit ut sol: quando  
enim de hoc mundo atque aethereum thalamum  
translata est sacratissima haec Virgo ex tunc ele-*  
ctant*



Et ut sol, electa inquam nobis quia sicut ex ea  
 natum Dei filium solem verum, sic solem eter-  
 num adoramus & colimus ut Deum verum, sic  
 & te honoramus atque veneramur, ut veri  
 Dei genitricem. Et quidem ipsa non est idem  
 quod ille sol, sed nihilominus tanta est, ut eam  
 honoret ipse sol honore quo decet filios honorare  
 parentes: Sequitur Terribilis ut castrorum  
 acies ordinata, terribilis dæmonibus ordinata  
 virtutibus, singularis timor malignorum spiri-  
 tuum, specialis amor civium beatorum. Quæ est  
 ista (inquit Spiritus Domini per ora Ange-  
 lorum Assumptionem hujus Bmæ Virgi-  
 nis admirantium pro tertia vice) quæ ascen-  
 dit de deserto delicijs affluens, innixa super de-  
 sertum suum? ac si aperte dicant (ut notat  
 Doctor Mellifluus serm. 4. in Assumpt.) quanta  
 est hæc? & unde ascendenti ei utiq; de deserto  
 affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares in-  
 veniuntur deliciae vel in nobis, quos in civitate  
 Domini letificat fluminis impetus, qui à vultu  
 gloriæ voluptatis gloriâ potamur. Quæ est ista  
 quæ de sub sole, ubi nihil est nisi labor, & dolor  
 & afflictio spiritus, ascendit delicijs spiritali-  
 bus affluens? Hæc est Regina illa quam videntes  
 filie Sion beatissimam predicaverunt & Regi-



na laudaverunt. Delicijs inquit affluens verè affluens quia multæ filia congregaverunt divitias, hæc supergressa est universas. Deliciarum ejus non est numerus, quia dum Spiritum sanctum suscipit, concipit Dei filium, Regem gloria generat, penetrat cælos, cumulata divitijs, & delicijs affluens ad regnū evolat sempiternum.

## §. 8.

**G**Audeamus igitur omnes in Domino neq; enim fas est ullibi esse signa trititiæ, dum Mater unigeniti filij Dei evehitur ad sempiterna gaudia vitæ. Iubilemus in Arca Domini toto animo & muri cadent Ierichundini, contrariarum inquam potestatum infestæ munitiones. Cum David exultemus spiritu: Arca enim Domini hodie requievit, clamemus cum Gabriele qui primum locum obtinet inter Angelos: Ave gaudij pelagus inexhaustum, ave unicum molestiarum levamen, ave omnium cordis dolorum medicamentum. Omnis creatura hujus sacratissimæ solemnitatibus (quam D. Hieron. omnium sanctorum festivitibus præferendam asserit, sicut & ipsa sacratissima Virgo, incomparabilis est cæteris virginibus) particeps esse dignoscitur. Et quidem Virgo gloriosa cælos ascendens, supernorum gaudia



gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit  
augmentis; ipsa est enim cuius salutationis vox  
teste Bernardo & ipsos exultare facit, quos ma-  
terna adhuc viscera claudunt. Quod si parvuli  
necdum nati anima liquefacta est, cum MA-  
RIA locuta est quid putamus quenam illa fue-  
rit caelestium exultatio, cum & vocem audire  
& videre faciem & beata ejus praesentia frui  
meruerunt? Merito proinde in exelsis resonat  
gratiarum actio & vox laudis: gloriose enim  
hodie processit gloriosa Virgo, cuius lampas ar-  
dentissima, ipsis quoque Angelis miraculo fuit,  
clarius enim ceteris rutilabat, quam replevit  
oleo gratiae, praeparticipibus suis Christus IE-  
SVS filius ejus Dominus noster: nec solum caeli  
civibus quin & nobis quae non in hac ejus As-  
sumptione solemnitatis occasio? quae causa leti-  
tiae quae materia gaudiorum? MARIAE presen-  
tia totus illustratur orbis, adeo ut & ipsa jam  
caelestis patria clarius rutilet virgineae lampas  
irradiata fulgore. Vna cunctis letitiae occasio  
una omnibus exultationis ratio. Quod si virgo  
es, gaude quia meruisti esse & tu quod laudas,  
tantum cura, ut sis quae digne laudare possis.  
Quod si continens & casta es, venerare & lau-  
da, quia non aliunde constat ut possis esse casta,



*nisi de gratia Christi, quæ fuit plenissime in MARIA quam laudas. Exultet & laudet peccator quia refugium adeptus est, cuius ope peccatorum suorum veniam consequatur ad cuius sinum confugiens perire non poterit: Mediatrix adeptus est, cuius intercessione cœlum terræ jungitur, id est Deus hominibus reconciliatur. Et quamvis non sit speciosa laus in ore peccatoris, noli tamen cessare à laude, quia inde tibi promittitur venia si laudas. Alioquin nisi juxta modulum ingenij nostri Deum laudare in sanctis suis studeamus, quomodo eum secundum quod canimus juxta multitudinem magnitudinis ejus laudare poterimus.*

## §. 9.

*S*ed forte plangendum nobis quam gaudendum magis esse videtur. Quantum enim de ejus presentia cœlum exultat, numquid non consequens est ut tantum lugeat hic noster inferior mundus ejus absentiam? Quis enim filius non summe doleat dilectissimæ Matris suæ ex hac vita discessum? sed absit ut in tanta tantæ Matris exaltatione ullus tristitiæ occasionem capiat: Cesset inquit Doct. Mellist.

*serm.*



*Serm. I. in Assumpt. querela nostra quia nec nobis hic est manens civitas, sed eam inquiremus ad quam hodie MARIA benedicta pervenit. In quam si conscripti cives sumus, dignum profecto est etiam in exilio etiam super flumina Babylonis ejus nos recordari, ejus communicare gaudijs ejus participare letitiam, maximeque eam quæ tam copioso impetu latificat hodie civitatem Dei, ut sentiamus & ipsi stillicidia stillantia super terram. Et amplius nos consolari volens de sublatione tam suavissimæ Dominæ à nobis. Præcessit inquit nos Regina nostra, præcessit & tam gloriose suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam servuli clamantes: Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus. Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam judicis Mater & Mater misericordiæ suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Pretiosum hodie munus terra nostra direxit in cælum, ut dando & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana divinis, terrena cælestibus, ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima & dona perfecta descendunt.*

*Quod si attendamus gloriam & gaudium*



dium quæ in terreni alicujus Regis coronatione conspiciuntur, cognoscemus utiq; non minora in coronatione Reginae cœlorum fuisse. In ea inanimatae etiam creaturæ exultare quodammodo cernuntur, captivi ac mortis rei libertati redduntur; Miseri & egeni largis eleëmofynis exhilarantur, & omnes cujuscumque status regijs muneribus & donis honorantur. Sic *ascendens in altum Virgo beata* inquit *Doct. Mellifluus, dabit ipsa quoq; dona hominibus. Quidni daret? siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorū est, misericors est, deniq; Mater est unigeniti filij Dei.* Et paulo post: *ut tamen interim sileam* inquit *beneficia quæ pro illius glorificatione consequimur si eam diligimus, gaudebimus utiq; quia vadit ad filium: plane inquam congratulabimur ei: nisi quod forte absit in ventrici gratia omnimodis inveniamur ingrati.* Quod si quæras quæ dona & beneficia nobis per ejus Assumptionem, coronationem & super omnes creaturas exaltationem sint collata: Respondet *S. Anselmus, lib. de excell. Virg. cap. 8. Terram etiam* (ait ad Beatissimam Matrem) *dies exaltationis tuæ ô Beatissima femi-*



*faeminarum mira gratia irrigavit, quia dum te quam de se, & in se aliorum hominum lege progenitam cognovit, usque ad Creatoris omnium thronum exaltatam cognoscit, ac antiquam maledictionis pœnam quam in peccato primorum suorum filiorum merito excepisse sciebat, jam per tanta benedictionis tue abundantiam, sese evadere indubitanter credebat. Quid amplius dicere possum Domina? Immensitatem quippe gratia, & gloria & felicitatis tue considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit. Quemadmodum enim omnia quæ in cælo sunt per glorificationem tuam inestimabiliter decorantur, ita per eandem glorificationem cuncta quæ in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur.*

Igitur ad hanc gloriosissimam Virginem hodie corona immortalitatis redimitam ac cæli terræque Reginam & Imperatricem constitutam, quotquot in hac miseriarum valle agimus filiali fiducia recurramus, dabit utique & ipsa hodierna die abundantissime sua dona hominibus. Ad hunc fontem sitibunda properet anima nostra, ad hunc misericordie cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat.

*Ecce*



*Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad filium deduximus & profecuti sumus saltem à longe Virgo benedicta: sit pietatis tue ipsam quã apud Deum gratiam invenisti notã facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutoriũ, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoq; die solemnitatis tuæ, & lætitiæ dulcissimum MARIE nomen cum laude invocantibus servulis, per te Regina clemens gratiæ suæ munera largiatur IESVS Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula Amen.*

CAPUT VIGESIMUM.  
PRIMUM.

*Encomium Marianum Vigessimũ  
Quartum et Quintum.*

VAS SPIRITUALE &  
INSIGNE DEVOTIONIS.

**F**Os qui in omnibus carnis delectamenta sectantur, inordinatisq; animi passionibus & affectibus fræna laxant, brutales